



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicae, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Decisiones Miscellanæ

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Decisio LXI. Argumentum. Declaratur quis sit Usurarius manifestus? Quis occultus? Et quæ differentia inter utrumq[ue].

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94626](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94626)

4. Festi dies sanctificandi cum ex lege Divina, cum Ecclesiastica.
5. Exempla profanatorum diei festi punitorum.

Requisiti fuerunt Parochi circa primum Ecclesiæ præceptum: Quæ, & quot à fidelibus sint faciendæ, ut dies festos de Præcepto sanctificent?

Dictum fuit tria esse faciendæ, & à tribus esse abstinendum.

Faciendæ hæc sunt.

1. Primò. Missam devotè audire. cap. Omnes fideles, cap. Missas, de Consecr. dist. 10.

Secundò: Doctrinam Christianam edificare, & Verbum Dei à Parochis, vel aliis concionatoribus percipere. Concil. Trident. Sess. 24. cap. 4. de Ref.

Tertiò: Orationibus vacare, Sacramenta suscipere, & Deo Optimo Maximo cultum ac pietatem exhibere. Catech. Roman. par. 3. De Tertio Præcepto.

Abstinendum autem est à tribus:

2. Primò: Ab operibus servilibus, mechanicis, & illiberalibus, (nisi iusta subsistente causa) S. Thom. 2. 2. quæst. 122.

Secundò: Ab actibus forensibus, strepitu iudiciorum, & decisionibus causarum. cap. 1. de Feriis.

Tertiò: Ab actionibus peccaminosis, nimium potationibus, alearum usibus, amoribus impudicis, comædiis, ac choreis iuxta monita, quæ à Clero nostro scripta fuerunt supra in his Miscellaneis Decisionibus Decis. IV. Decis. XV. II. L. num. 6.

Ad dicta in locis citatis recurrant animarum Rectores, pro rationibus desumendis ad excitandum populum, ut supradicta faciendæ adimpleat, & à prohibitis abstineat. Legant etiam sessiones omnes Catechismi Romani in citato Præcepto tertio de Observatione festorum, in quibus reperient argumenta plurima ad exhortandos fideles, ut benè, piè, ac devotè, dies festos de Præcepto sanctificent.

Prædictis addenda sunt sequentia motiva, quibus populi fideles excitabuntur ad tria prædicta exequenda, quæ sunt necessaria pro sanctificatione festorum, & ad abstinendum ab aliis tribus, quæ in diebus festis prohibita censentur.

3. Videlicet: Primò, quod profanare dies festos sit opus præcipuum, & maximus conatus diaboli, qui ad suos condempnones ait: Quiescere faciamus omnes dies festos Dei à terra. Psalm. 73. 8. impediendo nempe illa tria opera bona, & promovendo illa tria opera mala. Secundo, quia secundum doctrinam S. Thomæ 2. 2. quæst. 122. art. 4. Sanctificatio festorum duplici lege est nobis injuncta, Divina scilicet, & Ecclesiastica;

& lachrymabile est, quòd Deo præcipienti nobis, ut in die festo non laboremus, nolimus obedire, at è contra diabolo, ac mundo dicenti nobis: Ita in die festo ad onera vestra, ut dicebat Hebræis Pharaon. Exod. 5. sic promptè pareamus. Hinc ob hanc inobedientiam, & peccata contra Religionem, & Divinum cultum pluribus flagellis populus Christianus vapulat à Deo; & frequenter profanatores festorum dierum fuerunt puniiti. Habitatores cujusdam castelli, quia in festo Sancti Jacobi præsumpserunt laborare, omnes eorum habitationes fuerunt sequenti nocte ab igne consumptæ. Vinc. Beluacen. in specul. lib. 2. cap. 11.

Mulier incipiens Doct. Clericali Tom. II. Lib. IX.

suere lineam camisiam in die festo, eam sanguine madere conspexit; [prout sanguine plenè repertæ sunt spicæ frumenti satæ in die festo. Jac. Meyrus lib. 2. Annot. Ann. 811. Alteri fœminæ panem die Dominico facienti brachia absque sensu aut vigore remanserunt. Surius in Vita S. Hunegundis die 25. Augusti. Rusticus in die Assumptionis Beatæ Virginis terram fodiens, ut fornacem strueret, in foveam cecidit, & post eum terra, quæ illum vivum sepelivit. S. Bonav. in Vita S. Francisci part. 5. Molitor festivo die lapidis molaris dentes acuendo, non solum mallei capulum suis manibus insertum sensit, sed ab iisdem fœtidum sanguinem egredi non absque magno cruciatu observavit, ut refert S. Gregor. Turonen. lib. 1. de Glor. Martyr. cap. 15. & Bubulcus, qui die sacro boves junxit aratro, paulò post & boves, & ipsum consumpsit fulgur è cœlo lapsum. Cardin. Baron. Ann. 993. num. 8. Hæc exempla à Parochis in sermonibus ad populum, & alia plura, quæ in Sacris Historiis leguntur, sunt insinuanda, ut eum ad sanctificationem dierum festorum suum faciant; addentes magnum quippè esse facinus violare dies festos, ut constat ex Numer. cap. 15. Vers. 12. ubi hominem colligentem ligna in die Sabbathi mandavit Deus lapidari; ubi Cornelius à Lapide, qui supradicta exempla narrat, subdit: Vide hic, quam rigide, & severe præcepta, & festa sua Deus mandet servari? De hoc argumento legant Parochi, ac Concionatores Paulum segneri in Christ. Instruct. part. 1. serm. 11. per tot.

DECISIO LXI.

ARGUMENTUM.

Declaratur, quis sit Usurarius manifestus? Quis occultus? Et quæ differentia inter utrumque?

SUMMARIUM.

1. Manifestum duplex: Notorietate Juris, & Notorietate facti.
2. Usurarius convictus in Judicio, sed non confessus an sit manifestus?
3. Occultus Usurarius quis dicatur?
4. Differentia inter Usurarium occultum, ac manifestum.
5. Usurarium occultum penitentem quilibet potest absolvere, si restituat Usuras.

Quia Usurarius manifestus pluribus pœnis plectitur à Jure, ut dictum est supra Decis. XXV. ideo requisitum fuit: Quis dicatur Usurarius manifestus?

Respondunt scribentes circa hoc Quæsitum, manifestum Usurarium dici dupliciter, Notorietate facti, & Notorietate Juris. Ille dicitur Usurarius manifestus notorietate facti, qui publicè habet mensam ad fœnerandum expositam, vel ita frequenter fœneratur (et si privatim) ut populus de ea re certitudinem habeat. Gloss. in cap. 1. de Usur. in 6. Verb. Manifesti. Clarus §. Usur. Vers. Sed hic. Menoch. de Arbitr. casu 235. num. 9. Mascard. de Probat. conclus. 1425. num. 3. & 4. qui etiam illum manifestum dicunt, à quo facta est confessio hujus criminis coram pluribus, & præcipuè coram Sacerdote, & duobus testibus, quòd concedunt etiam Theologi apud Salas de Usur. dub. 46. num. 3. & Cardin. de Lugo d. disput. 25. num. 240.

N

No-

Notorietate juris manifestus Usurarius dicitur, qui in iudicio est confessus, vel condemnatus. Covarr. lib. 3. Var. cap. 3. num. 4. Clarus ubi supra num. 5. & Menoch. num. 12. Quod si convinctus sit, sed non confessus, alii asserunt, & alii negant, censendum esse manifestum, ut notat Salas. d. dub. 46. num. 4. Cardin. de Lugo d. disput. 25. num. 239. & Thesaur. de Penis Eccles. part. 2. Verb. Usurarii cap. 7. Vers. Item manifestus dicitur; ubi subdit talem nunquam posse pronuntiar, nisi certò constet de usura, ita ut nulla ratione, vel consuetudine publica possit excusari; quamvis non requiri usuram formalem, sed sufficere virtuale, qualis est, si supra justum pretium vendat propter dilatam pretii solutionem, ex pluribus DD. citatis doceat Cardin. de Lugo ubi ante num. 238.

6 E contra: Quis dicatur Usurarius occultus? respondendum est, illum censendum esse occultum, in quo relevari non potest notorietas facti, vel juris, ut latius demonstrant DD. supra allegati; & dictum fuit ex doctrina nostri Clerici in Decis. XXIX. quod benè declarat etiam Laurentius Prior in sua Praxi Criminali Veneta in tit. de Usura pag. 187. & seqq.

4 Quod si petamus, Qua differentia inter Usurarium manifestum, & Usurarium occultum? respondendum venit, hanc esse differentiam; quod Usurarius manifestus afficiatur omnibus illis duodecim pœnis, quæ relatæ fuerunt in præcitata Decis. XXIX. & præcipuè passiva participatione Sacramentorum & Ecclesiastica sepultura; nisi restituerit usuras, vel idoneam cautionem dederit de restituendo, vel pignoratitiam, vel fidejussoriam, vel juratoriam juxta text. in cap. Quia in omnibus, de Usur. & cap. Quamquam eod. tit. in 6. & Thesaur. de penis Eccles. dict. part. 2. Verb. Usurarii. pœnæ; cap. 1. Contra occultum verò sceleratorem non sunt inflicte pœnæ à Jure, propterea, quotiescunque eum pœnitebit usurarum, & restitutionem fecit, ad Sacramenta, & Ecclesiasticam sepulturam erit admittendus S. Th. 2. 2. quæst. 78. art. 3. P. Mastrius in Theol. Moral. dict. disp. 5. num. 93. & alii DD. allegati in supracit. Decis. XXIX. n. 1.

DECISIO LXII.

ARGUMENTUM.

Docetur, qui & qualis sit contractus dictus Mohatra, seu Stocco. Ostenduntur quatuor modi illum committendi: Qui omnes damnati fuerunt ab Innocentio XI. Idèò cautè legendi Cardenas, & F. Cassianus à S. Elia circa hunc contractum.

SUMMARIUM.

1. Mohatra contractus, seu Stocco quid sit?
 2. Quot modis contrahatur Mohatra?
 3. Pannum summo pretio vendere, cum pacto, ut sibi statim revendatur pretio infimo, est Usurarium.
 4. Etiam si non fiat pactum de sibi revendendo, sed sit intentio.
 5. Mohatra etiam fiebat per interpositam personam.
 6. Fit absque ullo pacto, aut intentione dato panno pro pecunia.
 7. Mohatra seu Stocco contractus damnatus ab Innocentio XI.
 8. F. Cassianus à S. Elia, & Cardenas cautè legendi circa contractum Mohatram, seu Stocchum.
- Paulus indigens pecunia petit ducatos centum mutuo à Mercatore, qui pro tanta summa ei dat tot ulnas panni ad vendendum. Paulus non reperiens emptores, pannum vendit eidem Mercatori pretio Ducatorum

octoginta. Queritur, quis contractus sit iste? Et an licitus?

Contractum hunc esse illum, qui Hispanicè vocatur Mohatra; Italicè Stocco; Gallicè Vente, & rovente, aliisque vocabulis in diversis regionibus, Porro, seu Pillizza, vel Barrato, omnes de Clero nostro scribere; allegantes Bonacina dict. tom. 2. de contractibus disput. 3. quæst. 2. punct. 3. num. 20. Rebell. de obl. justit. lib. 9. quæst. 6. num. 7. Salas de Empt. & Vendit. dub. 37. & de Usuris dub. 16. num. 2. Tamburin. in Decal. lib. 8. tract. 3. §. 8. num. 9. Cardin. de Lugo de justit. & Jur. disput. 26. num. 204. Leotardum de Usur. quæst. 24. num. 25. Diam nam part. 1. tract. 8. resolut. 20. & 58. Quæ in Coordinato est tom. 6. tract. 3. resolut. 63. & 64. & Cotonium in Summa Diana Verb. Contractus. num. 3. P. Cafalichium in Tutæ Conscientia lib. 2. cap. 3. num. 4. & F. Cassianus à S. Elia in Theol. Moral. Expurg. Verb. Contractus. 1. cap. 1. & 2.

Pro resolutione autem Casus, an Contractus iste sit licitus? notarunt, quatuor modis Mohatram, seu Stocco fieri posse.

Primo modo; quando indigens pecunia, & eam mutuo petens à mercatore, ille se offert dare creditò pannum, aut merces, pretio quidem justo, sed summo; si tamen ipse indigens spondeat, & paciscatur, eandem mercem revendere statim eidem mercatori numerata pecunia, aut pretio infimo, etsi justo, & in hoc casu, contractum esse illicitum, & usurarium ferè omnes Theologi autumant; tum quia est mutuum palliatum, ac idem, quod mutuare octoginta, & exigere centum; tum etiam quia imponitur onus pretio æstimabile, eidem indigenti, illum obligando ad revendendum prædicto mercatori, ita ut ad alium emptorem accedere non valeat. Cardin. Tolet. lib. 5. cap. 31. num. 3. Angelus Verb. Usura 1. num. 60. ubi dicit, hunc esse contractum pessimum. Sylvest. Usura 2. quæst. 4. S. Antonin. 2. part. tit. 1. cap. 8. quæst. 5. & part. 3. tit. 8. cap. 4. §. 4. Rebell. dict. lib. 9. quæst. 7. num. 7. & Cardin. de Lugo dict. disput. 26. num. 204.

Secundo modo, sit contractus Mohatra, vel Stocco, si in eo cessat pactum, sed tantum adest intentio, & spes in Mercatore vendente mercem creditò carius, eam reemendi vilius numerata pecunia ab eodem indigente; & in hoc casu, ferè omnes Doctores ajebant, licitam esse Mohatram (circumscripcta prohibitione legis) quia cum nullum onus imponatur indigenti, & possit accedere ad quem malit emptorem, non debet esse deterioris conditionis idem mercator, qui summo pretio (justo tamen) mercem vendiderat, illam reemendo infimo pretio, adhuc tamen justo. Bonacin. Dian. Cardin. de Lugo & alii supra allegati, & præcipuè Salas de Empt. d. dub. 37.

Tertio modo fiebat Mohatra per interpositam personam; tunc videlicet, quando vendita merce per mercatorem creditò indigenti pretio summo, mittebat amicum, proxenetam, vel tertiam personam, quæ eandem mercem nomine suo emeret pretio infimo, numerata pecunia; & in hoc casu ferè omnes Theologi dicebant contractum licitum esse, attenta justitia pretii, intra cuius latitudinem summum, & infimum continetur, ut plenè scribit Lessius lib. 2. cap. 21. dub. 16. num. 130. & Salas de Usuris dub. 16. num. 4.

Quarto modo prædictus contractus Mohatra, & Stocco fieri potest libero, & sincero animo, quatenus scilicet Mercator vendit creditò mercem suam indigenti pretio summo, sed justo; non